



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 96. Confessionem Augustanam profitendi libertas in Possoniensi
Conventu expetita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI. ac Philippi molimina contra hanc Re-
A.C. 1567. ginam usque ad illud tempus diu elu-
 ferat.

§. XCVI.

*Confessionem Augustanam profitendi
 libertas in Possomensi conventu
 expetita.*

*Thu. l. 41.
 n. 7.*

Interea hæresis, quam illa Lutheri
 contra Ecclesiam rebellio suscitaverat, non modo in magna Germaniæ parte, atque in Belgio, Francia, & Scotia suam rabiem exerebat, sed etiam Provinciæ, quæ nondum per perniciosam illius dogmata erant depravatæ, brevi etiam pestifero hoc veneno inficiebantur: cum enim Maximilianus Imperator Possonium superioris Hungariæ Metropolin ad Danubium sitam delatus ibidem comitia ageret, illius subditi plura ab eo petulantius petebant, atque inter cetera præcipue hæc exponebant. I. Per delegatos tam Hungaros, quam Germanos, ad utramque Danubii ripam mittendos Cæsar de bonis, quæ injuste possessoribus antiquis fuere adempta, cognoscat: II. in grassatores, ac peculatus reos animadvertat: III. vestigalia, ac tributa nova amoveat: IV. liceat ipsis oppida, & urbes a regibus oppigneratas persoluto pretio redimere: V. tales Antistites, atque
 Epi-

Episcopi in Pannonia ad exequendum Pastorale officium creentur, qui idonei, & ex eadem natione essent. Denique VI. Augustana Confessione illis, qui velent, uti liberum sit, ac propterea nullus hujus sectæ fautor molestetur: porro id ipsum etiam aliis comitiis, & priore, & hoc anno petatum fuit: sed nunquam assensum dedit Maximilianus Imperator, unde hic eadem animi, fideique constantia, qua in prioribus comitiis hanc libertatem execrabatur, nunc quoque huic articulo annuere renuit, moxque die quarta Aprilis Viennam reversus est.

Sæcul. XVI.
A.C. 1567.

§. XCVII.

Angelus Nicolinius Cardinalis mortuus.

Paucos ante Menses Angelus Nicolinius patria Florentinus ex nobilissima, ac pervetusta familia Anno Christi millesimo quingentesimo primo natus hoc anno mortalitatem exiit, cuius Pater nomine Matthæus profunda juris civilis, ac Canonici scientia tantopere inclaruerat, ut Cosmas Medicæus Florentiæ Dux illum secretioris Consilii sui Senatoribus accenseret, eique gravissima Ducatus negotia committeret: Angelus vero non minus digne, quam prospere apud Paulum III.

Ciacon. vit. Pontif. t. 3. p. 598. Amireto hist. fam. florent. Ughel Ital. Sacr. Aubery hist. des Cardin.

Pa-